

תורה נביאים וכתובים

BIBLIA HEBRAICA

ADJUVANTIBUS PROFESSORIBUS

G. BEER, F. BUHL, G. DALMAN, S. R. DRIVER, M. LÖHR,
W. NOWACK, I. W. ROTHSTEIN, V. RYSSEL

EDIDIT

RUD. KITTEL

PROFESSOR LIPSIENSIS

PARS I



LIPSIAE

J. C. HINRICHS

1905

PRAEPARAVERUNT IN PARTE I

LIBRUM GENESEOS EDITOR

LIBRUM LEVITIC. V. RYSSEL, TURICENSIS

LIBROS EXOD. ET NUMER. V. RYSSEL ET EDITOR

LIBROS DEUTER. ET JOSUAE S. R. DRIVER, OXONIENSIS

LIBROS JUDIC., SAMUEL. I. II., REGUM I. II. EDITOR

PROLEGOMENA.

1. Huius editionis Bibliorum Hebraicorum proprium est, quod textui masoretico et gravissimae *lectiones variae* codicum Hebraicorum manu scriptorum versionumque veterum et *consilia ad emendandum* textum traditum in notis adduntur.

Ad verba scriptorum biblicorum ipsorum quam maxime restituenda duae viae inveniuntur: aut (a) textum continuum et emendatum proponimus, quem quidem, quod ad fidem plus minus eruendam attinet, non nisi ad quoddam tempus — paulo fere ante versionem veterrimam — persequi possimus; aut (b) textu masoretico, sicut traditus est, quasi fundamento editionis nitimur et occasione data lectionibus variis vel consiliis ad textum emendandum in notis positus interpretamur. Hanc rationem (b) partim doctrinae partim utilitatis causa iniimus. Quam methodum, quamquam ex philologia consideratam interdum aliena et parum sibi convenientia gignere editorem non fugit¹, tamen usui communi servire existimat. Cum ea, quae ad textum emendandum proposita sunt, inprimis veteribus versionibus nitantur, textum temporis, quod supra diximus, restituere in mente habemus. Neque vero rationis constantis causa modum anguste coercuimus: quoties versionibus adiuvantibus aut sine illis textum originalem erui posse spes erat, vestigia persequi non dubitabamus.

2. In *textu masoretico*, qui pro fundamento poneretur, eligendo dubium erat, novusne textus ratione eclectica secundum fidissimos testes restitueretur an exemplar quoddam codicum, qui exstant, redderetur. Hanc viam ingrediendam decrevi, cum illa methodus sine apparatu amplissimo, quo fontes singularum lectionum variarum receptarum demonstrantur, nullius pretii sit. Etiam BAER dicere, unde lectiones a se receptae orerentur, saepe neglexit. Codicem B, quem egregiis virtutibus praestare

¹ cf editoris libellum: *Über die Notwendigkeit und Möglichkeit einer neuen Ausgabe der hebräischen Bibel*, Leipzig 1902.

ceteris nemo negat, supposui. Etiam hunc codicem cum arti criticae tum *firmis legibus* ante propositis subigendum fuisse manifestum est; quod maxime opus erat, cum aut in codice B ipso confusa et inaequalia inveniantur aut dissensione inter doctos ipsos orta quaeratur, utrum codex B sequendus sit necne. Quaestiones imprimis a BAER-DELITZSCH, (*Liber Genesis* 1869 Praef.) et GINSBURG (*Introd. to the . . . Hebr. Bible*, 1897, p. 255 ss. 114s) propositae mihi ante oculos obversantur. Haec decrevi:

a) cum *Schewa* sub priore duarum consonantium consonarum legitur, non est, quod *Schewa* compositum scribatur. Codex B suo iure modo *Schewa* simplex modo (sed rarius) compositum scribit. Tantummodo secundum HEIDENHEIM (ben Ascher), id quod saepius contrarium est codici B , si *Schewa* compositum legitur, semper *Meteg* praecedere opus est. Ergo מְקַלִּים et רְבֹבוֹת et מְקַלִּים et רְבֹבוֹת .

b) Opus non est verba *גרש*, *אכל*, *ברך* in medio littera ך litterave ך pro ך vel ך scribi. Hoc quoque loco habemus, quod scribendi rationem codicis B obtineamus, in quo utrumque legitur. Vide GINSBURG, *Introd.* 257 ss.

c) *Dagesch emphaticum*, quo ut formae פְּלִילֵב , וְאָפֶר , עֵם־מְתִי , וְעֵלְמוֹ , הָעֵלִם etc. afficiantur, BAER postulat, argumentis confirmatum non est. Confer GINSBURG, l. c. 114 ss. Hic quoque codex B recte scripsit.

Ea, quae sub b) et c) dicta sunt, probabantur codice illo illustri MERZBACHER, quem doctoris A. FREIMANN Francofurtensis beneficio cognovi. Quem opinioni BAERII haud ambigue obstare collatione quinquaginta locorum, quam manibus teneo, demonstratur.

d) Item *Raphe* iterum ac saepius ponere, id quod postulat GINSBURG, et accentum alias nisi apud *Paschta* bis scribere, ut solet BAER, una cum codice B neglegendum putavi.

e) Item *Chateph Qamez* illud omisi, quod a BAER saepe pro *Qamez chatuph* scribitur ita, ut errare haud difficile sit, quodque saepius, sed nulla ratione constanti (exempli gratia Gn 14, 1. 5 פְּרָר et פְּרָר cf Gn 3, 5. 11; 6, 15) etiam in codice B legitur.

3. Quam ob rem praeter exceptiones sub 2 a et 2 e enumeratas et sub 4—6 enumerandas textus masoreticus Bibliorum secundum *principem editionem* JACOBI BEN CHAJJIM (anni 1524/5) in apparatu littera B (*Bomberg*) significatam exscribi potuit. Bibliis enim Hebraicis a GINSBURG secundum B (cf *Introd.*, p. III) editis —

quorum magnas et varias virtutes gratissimis animis omnes aestimant — etiam obiter percursis codicem **B** denuo conferendum esse apparuit.¹ Quod I. I. KAHAN Lipsiensis suscepit. Ibi tantummodo, ubi manifesta menda typographica et alii errores vel permira codicis BEN CHAJJIM propria² adesse videbantur, silentio codicem **B** reliqui. Omnes aliae differentiae in apparatu a me notatae sunt. Id incommodum, quod hac ratione inita nonnulli errores manifesti rationis scribendi et accentuum servandi erant, ne apparatus rebus vilissimis oneraretur, sarciri et compensari puto eo, quod alterum rationis eclecticae — qua BAER et GINSBURG saepe usi sunt — inevitabile incommodum quam maxime fugimus, id dico, quod fundamentum textus restituti aliquid incerti habet.

4. Quod attinet ad *Meteg* scribendum, codex **B** saepe indiligenter et ex libidine se gerit. Quae cum ita sint, in omnibus partibus textus — in notis ut hac in re omnia congruerent fieri non potuit — editor principia a BAER in MERX, *Archiv für wissensch. Erforsch. des AT* I, 1867 deposita secutus est. Interdum — sed raro — insuper *Meteg*, si certissima testificatione nitebatur, receptum est.³

5. *Accentus* sequuntur **M**, specialiter **B**; solum *Zakeph* parvum, quoties non praecedente servo in codice **B** inveniebatur, secundum regulam in *Zakeph* magnum mutabatur vel cum accentu antecedente scribebatur (expl. gr. Ex 39,10 וימלאוֹבוּ).

¹ cf exempli gratia in Gn 2—14 **B** et GINSB.:

Gn 2,22	צִלַע	...	ל	5,25	ושמונים	...	מג	10,11	וכלנה	...	ג
3,16	עֲבֹבֹךְ	...	ץ	26	ושמנים	...	מו	14,4	ושלש	...	לש-
17	תאכלנה	...	כ	29	ומעֲבֹבֹן	...	ץ	6	בהרם	...	ך
4,4	ומחלִבְתֵן	...	ב	6,3	בשגם	...	ג	19	ויברכהו	...	ך

Mirus quidam error apud GINSBURG invenitur in Jdc 9,33: יועמר pro בעקר.

² In his numeranda sunt Chateph Qamez saepius scriptum et crebrae lectiones mixtae, id est duarum et possibilium ad impossibilem lectionum copulatio: cf מִלְּךָ (Makk. et accent.) Jdc 9,14; עֲיִהֵנוּ Gn 2,16; נְבוֹר־צִיד 10,9; 10,21, vel ותקעתם (pro aut ותקעתם aut ותקעתם) Jdc 7,20; כְּדָרְלַעַמַר Gn 14,1 (Schewa et Makk.); שָׁרִי 11,31; יֵשֵׁב 13,12. Menda typographica vel alii errores sunt, si Dagesch omittitur multis locis: vide יָקַח Gn 11,29. 31. נָא — 19,2. 8. צָאוּ — 19,14 (etiam in אָקַח et אָתָה saepius abest), vel scriptiones ut: לעינים 2,6 sive ויקרא 4,17, vel si ab ipsa Masora receditur: vide Jdc 11,25 הרב def. contra Masoram in margine inferiore notatam vel v. 31 עולה plene contra **M** 6,26, necnon 1S 3,10 ויתיצב (**M** in marg. עב.—).

³ In libris Gen. usque ad Jos. saepe rei typographicae causa *Meteg* a dextra parte vocalis scriptum est — id quod non prorsus juste se habet (ועמר, ויהי); sed inde a libro Jud. *Meteg* suo loco legitur (האמתה, ויהי).

Praeterea si sententiae et sensus causa aliquid mutari *opus* esse videbatur, annotabatur. Sed planissime declaratur, ut notae quam brevissimae fierent, non omnes accentus comprehensionis ad unum accentum mutatum accommodatos esse. Quod lecturis permissum est. Eandem ob causam nonnulla minutiora, quae ut mutarentur, sensu comprehensionis et, praesertim in partibus poeticis (vide Dt 33,17. 28 ac saepius), discriptione stichica caesurave postulabatur (ne ea quidem, quae WICKES affert) mutata non sunt. Quod si constanti quadam ratione factum esset, notae maximopere auctae essent et, si mutationes in notis enumeratae non essent, textus perspicuitas exstincta esset. Quae cum ita essent, haud facile modum mihi imposui.¹

6. *Pericopae* textus traditae secundum codicem **ℒ** redditae sunt; **Ⲁ** significat incisiones maiores, quae dicuntur apertae, **Ⲁ** minores, quae dicuntur clausae. Cum codex **ℒ** (sicut multi codices) *litteras* illas tantum in Pentateucho, ubique habeat *pericopas*, inde a Josua, ut ultra codicem **ℒ** processum esse monstraretur, minores litterae (**Ⲁ** et **Ⲁ**) scriptae sunt. Ac quod in codice **ℒ** a Josua saepe ambiguum est, utrum incisiones apertae an clausae sint, litterae (non pericopae ipsae) traditionem masoreticam a GINSBURG (cf. eius *Introduct.* cap. II) in Bibliis Hebraicis redditam sequuntur. Tantummodo si codex **ℒ** cum GINSBURGIO discrepans pericopam habet, littera — sive **Ⲁ** sive **Ⲁ** — libero arbitrio scripta est. Quo modo legentibus brevissime discriptio tradita aut interpretatio textus illā expressa ante oculos proponitur.

Haec cum saepe a vero aberret, in nova editione secundum nostri temporis scientiam textum dividi opus erat. Quoties incisio sive maior sive minor *sine* litteris **Ⲁ** aut **Ⲁ** invenitur et litteris **Ⲁ** et **Ⲁ** scriptis aut nullum aut minimum spatium intermissum est, silentio alia ac masoretica discriptio supposita est, qua in re non omittendum est codicem **ℒ** iterum atque iterum exigua spatia relinquere, quae num solum typographiae gratia interiecta sint, non semper facile est diiudicare. Quam plerumque causam fuisse existimo. — Poeticos locos traditionis masoreticae ratione non habita fuisse dividendos apparet. Paucis locis Masoram editoris adiutricem esse nemo nescit.

7. Quod ad *notas* attinet, expressis verbis editorem in

¹ *Qerē perpetuum* eandem ob causam semper et interdum *Qerē* illud, quod mere orthographicum est (expl. gr. קְרֵיבְתוּ, קְרֵיבְתוּ 1S 26,5. 7), in notis commemorare omisi.

animo habuisse negatur, *omnes varias lectiones omniaque ad textum emendandum consilia colligere, id quod apparatus maximopere auxisset. Semper versari opus erat in eo, quod vel hoc vel illo modo insigne vel gravius est. Modum incertum et in uniuscuiusque „subiectiva“ opinione positum esse nemo nescit — praeterquam quod interdum spatii ratio erat habenda: si, quorum est iudicare, nos medium quoddam recte tenuisse existimabunt, id nobis gratissimum et summi erit pretii.*

Locorum alicubi repetitorum (ex. gr. cf. 2R 18ss = Jes 36ss), si altero loco rectus, altero falsus textus erat, differentiae saepe posteriore tantum loco notabantur. Qua ratione quin occasione data desisteremus, fieri non poterat.

Locos *recentium librorum* citare et *nomina doctorum* afferre omittendum erat. Si quis secum reputabit, hoc opus perfici non potuisse, nisi inprimis fines certi et ei angusti tenebantur, is et alia, quae postea forte ab editore exstincta sunt quaeque desiderat, et hoc, quod vitium videtur esse, excusabit. Hoc loco omnibus eis, quorum ex libris usum cepimus, gratias agere nobis liceat.

8. *Labor ita divisus* est, ut consilium totius operis (ab editore compositum et a viris, qui in editione paranda eum adiuvabant, probatum) et textum Bibliorum masoreticum totum editor praestet. Notae et discriptio textus (poeticorum praesertim locorum) partim ab editore partim a sociis oriuntur. Toti operi eandem formam afferre non semper facile fuisse nemo non intellet. Quoties de forma vel re cum sociis componere opus erat, hi semper obvia erant comitate. In libris Exodi et Numerorum notae communi VICTORIS RYSSSEL nuperrime defuncti (cujus praematuram mortem omnes lugent) et editoris labori debentur.

In plagulis legendis maxima adhibebatur cura. Et editor unamquamque et socii unamquamque ab ipsis praeparatam plagulam bis perlegerunt. Praeterea nulla plagula prelo tradebatur, nisi eam viri docti I. I. KAHAN et Dr. KRAMER, pastor Gerichshainensis, necnon Dr. CHAMIZER officinae Drugulinianae director, quibus gratias ago maximas, accuratissime perlegerant. Nihilosecius imbecilla generis humani natura ne hic illic mendum quoddam typographicum restiterit, impedire non potuerit. Lectori benevolo, qui de erratis et illis et aliis certiore me fecerit, gratiam habebo.

Scripsi Lipsiae

Id. Mart. 1905.

R. KITTEL, D.

CONSPECTUS SIGLORUM ET COMPENDIORUM

SIGLA

- A** = Aquila
א = versio arabica
አ = versio aethiopica
♠ = editio Bombergiana Jacobi ben Chajjim anni 1524/25
E = Quinta
⊗ = versio graeca LXX interpretum
 ⊗^A = codex Alexandrinus
 ⊗^B = codex Vaticanus
 ⊗^{C(om)pl} = editio Complutensis (1514—17)
 ⊗^D = codex Cottonianus Geneseos
 ⊗^E = codex Bodleianus Geneseos
 ⊗^F = codex Ambrosianus
 ⊗^h = recensio hexaplaris
 ⊗^L = recensio Luciana
 ⊗^N = catena Nicephori
 ⊗^{Vn} = Aldina (Ven. 1518)
 ⊗^{*} (**⊗^{B*}** etc.) = prima manus, **⊗^{B^{ab}}** etc. secunda, tertia manus
 ⊗ⁱ (**⊗^{Bⁱ}** etc.) = altera versio (ex duplici)
 ⊗ ipsum = omnes MSS vel gravissimi
Θ = Theodotion
K = Ketib (**K^{Or}**, **K^{Occ}** = K apud Orientales, Occidentales)
Ⲁ = versio coptica
ℓ = versio vetus latina (Itala) secundum Sabatier 1739—49 (1751)
 ℓ^L = codex Lugdunensis (ed. Ul. Robert 1881. 1900)
 ℓ^{Lg} = margo codicis Legionensis (ed. Vercellone, Var. Lect. Vulgatae,
 [1860. 64])
Ⲁ = Masora, textus masoreticus
MS = codex manu scriptus
MSS = codices manu scripti
4MSS, 10MSS etc. = 4 vel 10 MSS secundum de Rossi, *Variae Lectiones*
 Vet. Test. 1784ss et *Supplem.* 1798, inclusis codicibus, qui prima,
 exclusis illis, qui secunda manu lectionem tuentur (cf. *Var. Lect.*
 I § XLI, pag. XLVI)
1MS^F, MS^J, 3MSS^M etc. cf. *Var.*
⊗MSS, ⊗MSS (vel **⊗^{MSS} ⊗^{MSS}**) etc. = codices manu scripti LXX inter-
 [pretum vel Targumi etc.

- Occ = Occidentales
 Or = Orientales
 Or^{B7} = codex Tschufut-Kale 7
 Or^{Ka} = collatio Kahlii (cf. Kahle, *der masor. Text etc.*, 1902)
 Q = Qerē (Q^{Or}, Q^{Occ} = Q apud Orientales, Occidentales)
 \aleph = Pentateuchi codex hebraeo-samaritanus
 \aleph^T = versio samaritana (Targum samaritanum)
 Σ = Symmachus
 \mathfrak{S} = versio syriaca secundum editionem Polyglottam Londinensem Briani
 \mathfrak{S}^A = codex Ambrosianus [Walton, 1654ss]
 \mathfrak{S}^U = editio Urmiensis, 1852
 \mathfrak{S}^h = versio syriaca hexaplaris cf. \mathfrak{G}^h
 \mathfrak{T} = Targum (in Pentateucho = \mathfrak{T}^O)
 \mathfrak{T}^B = Targum editionis Bombergianae \mathfrak{B} 1524/5
 \mathfrak{T}^J = Targum Pseudo-Jonatan (ed. Ginsburger, 1903)
 \mathfrak{T}^{JII} = Targum Hiersolymitanum secundum (Fragmententargum) ed.
 \mathfrak{T}^O = Targum Onkelos (ed. Berliner, 1884) [Ginsburger, 1899]
 \mathfrak{T}^L = Targum editionis Lagardianae 1872. 73
 \mathfrak{T}^M = Merx, chrestomathia targumica, 1888
 \mathfrak{T}^{Pr} = Praetorius, Targum in jemen. Überlieferung (ad Jos et Jdc
 \mathfrak{T}^W = Targum editionis polyglottae Waltonii [1899. 1900]
 ψ = versio latina vulgata
 Var = varia lectio (cf. MS, MSS)
 Var^B = Var secundum Baer
 Var^F = Var secundum Firkowitsch (cf. Harkavy und Strack, *Catalog der hebr. Bibelhandschr. etc.*, 1875)
 Var^G = Var secundum Ginsburgii Biblia masoretica
 (MS^G, MSS^G = Var secundum Ginsburg, *Introduction to the.. Hebrew Bible*, 1897)
 Var^J = Var codicis Jemenensis (cf. Hoerning, *Karaites MSS*, 1889)
 Var^{Kenn} = Var secundum Kennicott, *Vet. Test.* 1776ss.
 Var^M = Var secundum Joh. H. Michaelis, 1720
 Var^P = Var codicis Petropolitani anni 916
 Var^W = Var secundum Wickes (*Hebrew Accent.* 1881. 87)
 (\mathfrak{G}) (ψ) (\mathfrak{T}) etc. = \mathfrak{G} etc. non verbotenus, sed secundum rem
 $zS^{\mathfrak{G}}$, $\psi^{\mathfrak{G}}$ etc = \mathfrak{G} ad ψ etc

COMPENDIA

add	= additum, additamentum	m(tr) cs	= metri causa
al	= alii, -ae, -a etc.	m(u)lt	= multi, -ae, -a etc.
al loc	= aliis locis	nonn	= nonnulli etc.
c	= cum	Occ	= Occidentales
c ast	= cum asterisco (※)	om	= omittit, -unt
cf	= confer(endum)	Or	= Orientales
cod(d)	= codex, codices	orig	= originaliter
(com)pl	= (com)plures	p(au)c	= pauci etc.
conjg	= conjunge, -it	pr	= pro
crrp	= corruptum	praem	= praemittit
dl	= dele(ndum)	prb	= probabiliter
dub	= dubium	prps	= propositum (a quibusdam scriptoribus recentioribus)
Ed(d)	= editio(nes)	Q	= Querē
exc	= excidit, -erunt	Seb	= Sebīr
frt	= fortasse	Sev	= codex Severi hebraicus
Hex, hex	= Hexapla, -ricum	sim(il)	= similiter
Hie(x)	= Hieronymus	soph pas	= sōph pasūq
Hill	= codex Hillel	s, ss (sqq)	= sequens, sequentes
hod	= hodiernum	s ast	= sine asterisco
inc(ert)	= incertum	Tiq soph	= Tīqqūn sopherim
id	= idem	trsp	= transpone(ndum)
Jerus	= codex Hierosolymitanus	v, vs	= versus
ins	= insere (-it)	Var	= varia lectio cf. Sigla
invers	= inverso ordine	vb	= verbum, -a etc.
interv	= intervallum	V(e)rs	= versiones (omnes vel pleraeque)
Jub	= liber Jubilaeorum	vid	= vide(n)tur [pleraeque]
K	= Ketib	+	= addit (-unt); in enumerationibus codd = praeterea
l	= lege(ndum)	>	= plus quam, deest in
maj	= majusculum	*	= textus (forma) conjecturā probabilis
min	= minusculum	׀	= ׀ (et cetera)
MS	= codex manu scriptus		
MSS	= codices manu scripti, cf. Sigla		

LIBRI BIBLICI

Gn Ex Lv Nu Dt Jos Jdc 1S 2S 1R 2R Jes Jer Ez Hos Jo Am
 Ob Jon Mi Na Hab Zeph Hag Sach Mal Ps (ψ) Prv Hi(Ij) Cant Ruht
 Thr Qoh Est Da Esr Neh 1Ch 2Ch